DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

(6)

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

CAROLUS ANGIER,

ANGLUS,

Societ. Chirurg. Obſtet. Praeſ. Ann. et Soc. Ext,

Nec non

Societ. Hibern. Med. Praeſ. Ann. et Soc. Ext.

——————" *Salutari levat arte feſſos*
" *Corporis artus.*" HOR.

Ad diem 24 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCI.

CAROLO DU BOIS ANGIER,

VIRO OPTIMO, PATRI CARISSIMO,

HANC DISSERTATIONEM

HUMILITER ET GRATISSIME

OFFERT

AUCTOR.

Mr. Allen

with Compliments

from the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

HISTORIA.

RHEUMATISMUM ab aliis doloribus, qui juncturas occupant, ullo ex omnibus huic morbo propriis ſymptomatis, diſtinxiſſe antiquos, minime ab eorum conſtat hiſtoriis; ſed omnes, contra, ad unum, ſive arthritici rheumaticive fuerint, ſub uno nomine Arthritidis complexos fuiſſe, videtur. Aliquando etiam cum catarrho hoc malum confuderunt. Hujus morbi natu-

ram primum intellexit Botallus; catarrhum, ut tum audiebat, inflammatorium dignovit, et ad eum ſanandum ſanguinis detractionem magnopere laudavit *. Ballonius, poſtea, medicus Gallicus, qui Lutetiae Pariſiorum ſeculo decimo ſexto floruit, huic morbo nomen rheumatiſmi indidit; eum arthritide et catarrho ſecrevit, morbum eſſe inflammatorium indicavit, et ſanguinis detractiones, in eum ſublevandum, maxime injunxit †. Rheumatiſmum, poſt hunc, Sydenhamius in acutum et chronicum diviſit ‡. Plurium deinde medicorum attentionem ſibi vindicavit hic morbus, qui ejus naturam ſedulo atque feliciter indagaverunt, methodumque eum tractandi multum emendaverunt et adauxerunt; clarius inter hos eminuit Cullenus celeberrimus, qui

* Vide Botallum de curatione per ſanguinis miſſionem, cap. 12.

† Vid. Ballon. lib. 3. cap. 77. p. 258. 425.; lib. de arthritide, p. 206.

‡ Vid. Sydenham. ſect. 6. cap. 5.

qui definitionem hujus morbi ſequentem, ſua e Noſologia excerptam, accuratiſſimam dedit.

" Morbus ab externa et plerumque evidente
" cauſa; pyrexia; dolor circa articulos, muſcu-
" lorum tractum ſequens, genua et reliquos ma-
" jores, potius quam pedum vel manuum arti-
" culos, infeſtans, calore externo auctus *."

Regiones frigidas incolentes ſaepiſſime hic morbus invadit; iiſque praeſertim tempeſtatibus occurrit, quibus magnae ſubitaeque coeli eveniunt mutationes; plagis enim in illis, ubi frigus aeſtuſve intenſior eſt, magiſque permanens, dominatur, hunc morbum rarius quidem apparere multi affirmaverunt auctores. Britanniae inſulam habitantes, ob repentinas, quae ibi fiunt, coeli mutationes, maxime aggreditur rheumatiſmus. Vere autumnoque frequentius obvenit; nulli vero

* Synop. Noſol. Method. gen. 22.

vero anni proprius tempeſtati; quoties enim coeli temperies calida ad frigidam, pluvioſa ad ſiccam, vel vice verſa, rapide ſemet mutaverit, toties hic morbus ſemper ſeſe quidem oſtendet.

Utrumque ſane ſexum hic morbus corripit; ſed foemineus eo ſaepius affligitur. Omnia temperamenta invadit rheumatiſmus, ſanguineum vero ejus impetui magis obnoxium; infantes rariſſime adoritur. A pubertate, ad annum uſque trigeſimum quintum, potiſſimum accedit. Ante pubertatem enim, vel poſt annum quadrageſimum, rarius ingruere hoc malum obſervatur.

Indicia quibus hic morbus deſignetur proxime notanda.

Omnia ſaepe pyrexiae ſymptomata hunc morbum ab initio comitantur; languor nempe et laſſitudo, rigoreſque aegrotum primo invadunt, quos arteriarum ictus pleni, durique et frequentes,

tes, calor ſitiſque excipiunt; anorexia plerumque, vertigo, et nauſea ſequuntur; lingua areſcit, cruſtaque alba obducitur.

Varias deinde corporis partes ſenſus occupantes ingrati aegrum moleſtant; dolores poſtea acuti juncturas, praeſertim majores, carpos nempe cubitoſque, genua et talos, acerbiſſime aliquando excruciant. Partes etiam muſculares interdum afficiuntur.

Muſculorum per tractum ſaepius tendentes, ex una ad aliam juncturam demigrant, ſemperque muſculorum laborantium actione maxime irritantur dolores. Plures eodem aliquando tempore artus patiuntur; magna vero ex parte ſedem mutare gaudent dolores, et unum miteſcentes in artum violentius in alium ingraveſcunt, et in artus primum affectos aliquoties redeunt.

Veſperaſcente die, omnia vehementer ſaeviunt ſymptomata ; noctuque dolores vi plurimum intenduntur, ubi et corpus aliquando nimis calet, ſtratorumque pondus nonnunquam intolerabile devenit.

Cum vero doloribus, priuſquam ulla pyrexiae ſymptomata apparuerint, afficiatur aegrotus, malum deinde lenius evadit.

Rubeſcunt plerumque tumeſcuntque artus laborantes, tactique dolent. Quanquam vero hoc tumore interdum mitigantur, tamen non omnino amoventur, ſed ſaepe in artus redeunt, dolores. Neque ſudore viſcido, hunc morbum ab initio comitante, ſemper allevantur dolores ; liber vero copioſuſque evadens, morbo finem aliquando imponit.

Per totum hujus morbi decurſum, urina ab aegroto ſemper manat colorata, nullumque, ine-

unte

ante morbo, ſedimentum in ea ſubſidit. Cum vero multum remiſerit febris, materiae vis lateritiae fundum petit.

Alvus plerumque adſtricta; et ſanguis vena detractus hoc, ut in aliis inflammationem habentibus morbis, cruſtam coriaceam ſaepe exhibet; craſſiorem quidem tenacioremque, quo violentiora indicia ſunt, frigidiorque evadit tempeſtas; e plagae vero magnitudine vaſis quo receptus ſanguis eſt, forma aëriſque, ſub quo concreſcit, temperie, plurimum in hac re haud dubie pendet. Per metaſtaſin hic morbus internas aliquando occupat partes; ſuppuratione vix unquam rheumatiſmus terminatur; ſed liquores gelatinoſi pellucentes, qui rurſus plerumque abſorbeantur, tendinum in vaginis interdum effunduntur.

Poſt duas aut tres a morbi exortu ſeptimanas, pyrexiae, ut plurimum, evaneſcunt ſymptomata, ſaltemve,

ſaltemve, ſi durent, vi ſua plurimum mitigantur. Cum his item dolores aliquando diſcedunt, lenioreſve, ſi perſtent, evadunt, lociſque etiam certis circumſcripti, minus mobiles fiunt.

Omnibus tandem febris ſymptomatis, artuum rubore praeſertim atque tumore, amotis; ſi tamen artus quidam etiamnum doloribus afficiuntur, et ſenſui moleſtiae, motu, vel viciſſitudinibus tempeſtatum incidentibus, patent; tum morbum in eum, quem rheumatiſmum chronicum appellaverunt medici, degeneraſſe concludere licebit.

DIAGNOSIS.

Rheumatiſmus a ſcorbuto facile diſtinguitur; quamvis enim dolores hoc morbo implicitos infeſtantes eos ſane referunt qui rheumatiſmum comitantur; certis tamen indiciis, quae unum

ab altero morbum ſatis accurate diſtinguunt, ſcorbutus deſignatur ; plures nempe multi-colores, liveſcentes praecipue, maculae diverſis in corporis partibus ſparſae, radices pilorum ut plurimum occupantes, aliaque ſigna hoc malum ſatis diſtinguent, qualia ſunt gingivae ſpongioſae, et preſſae ſanguinem effundentes ; ictus arteriarum exiles abnormeſque; ſumma etiam debilitas ; haemorrhagiae frequentes ſpontaneae ; aliaque his conſimilia, rheumatiſmum nunquam comitantia, ſymptomata.

Mediis oſſibus ſolidiſſimis dolores in ſyphile fieri ſolent ; iis nempe cranii artuumve, ut tibiae, quaeque nodis et exoſtoſi ſaepe ſtipantur ; non oſſa vero, ſed ligamenta et aponeuroſes muſculorum tendineae, maxime in rheumatiſmo afficiuntur. In lue venerea porro dolores profundius ſedere videntur. Alia praeterea ſymptomata, morbi naturam liquido monſtrantia, dolores ple-

rumque comitantur, vel eos aliquando praecedunt.

Inter podagram vero et rheumatiſmum diagnoſin juſtam accuratamque formando, difficultas interdum premit. Signa idcirco evidentiora, quibus unus ab altero clare internoſcatur morbus, hic indicare tentabo.

Arthritidis cauſam videtur peculiarem eſſe corporis conditionem morbidam, quae tamen ab indagationibus anatomici curioſiſſimis nondum eſt reperta; cauſa vero rheumatiſmi interna, nempe diatheſis phlogiſtica, bene omnibus eſt nota; et externa hujus morbi cauſa, frigus nempe, ſatis plerumque evidens potenſque eſt; et omnia ſine diſcrimine temperamenta, ſanguineum vero potiſſimum, ejus impetui expoſita, hoc morbo affligere poteſt. Rheumatiſmus praeterea eos qui pubertatem adepti ſunt, ad trigeſimum quintum uſque aetatis annum, potiſſimum corripit;

aliquem

aliquem vero, medio aetatis nondum exacto, ni proclivitas ſubſit validiſſima, vix unquam aggreditur arthritis. Quibus porro hic morbus frequentiſſime accedit, iis ſunt corporis habitus pleni et craſſiores, et in iis praeſertim occurrit qui otio, luxuriae, et intemperantiae omnigenae, ſeſe penitus dederunt; ſed vitam laborioſam degentibus, atque abſtinentiam colentibus, maxima ex parte, vel omnino, hic morbus parcit. Contra vero, nulla vivendi ratio, quantumcunque haec modica aſſiduaque ſit, aliquem, cauſis rheumatiſmi excitantibus potentibuſque expoſitum, ab hoc morbo aſſervare valebit. Rheumatiſmus et ſuperiores praeſertim occupat artus, et ſedem, ut antea dictum, plurimum mutare gaudet; ſed dolor ita aliquando diffuſus, ut quae caeteris magis dolent partes prorſus ignorat aegrotus; inferiores vero, et praecipue minores artus, pedum nempe pollicis juncturas, podagra maxime infeſtat, et niſi quod partium internarum cum affectionibus morbus nonnunquam

alternet,

alternet, quod raro facit rheumatiſmus, uno in loco, ut plurimum, dolor eſt circumſcriptus, vel in lateris alterius articulum priori reſpondentem ſolummodo ſeſe transfert.

Paucis praeterea ante diebus quam podagrae paroxyſmus ingruere incipiat, torpore corpus afficitur et languore; ventriculi functiones praeſertim magis minuſve ſunt turbatae, cibi appetentia multum imminuta, flatus, ructus acidi, aliaque pravae concoctionis indicia, haud minimum aegroto moleſtiae exhibent. Veruntamen haec omnia ſymptomata, paroxyſmo invadente, evaneſcunt, vigorque nunc inſolitus per corpus univerſum pervadit. Porro, cum ſaepe antea aegrum aggreſſa eſt, materiem cretaceam parte junctturarum exteriori deponit podagra. In morbo rheumatiſmi liquores ſolummodo gelatinoſi tendinum in vaginis effuſi adhuc fuerunt reperti. Denique, morbus eſt haereditarius, certiſque redit periodis, et non niſi ſumma abſtinentia curaque tolli poteſt arthritis; cauſis vero

rheu-

rheumatiſmi caute vitatis, hic morbus nunquam accidet.

Quanquam rheumatiſmus chronicus ab acuto aliquando difficillime internoſcatur; ſignis tamen a Culleno datis rite perpenſis, hi duo morbi accurate dignoſcuntur; quoties enim nulla adſit pyrexia, nec artus rubeſcunt dolentes, ſed frigidi rigidique manent, et e quibus ſudor vix elici poteſt, vel viſcidus tantum et frigidus in artus affectos, dum in caeteras corporis partes copioſus tepiduſque ſudor fluit; et praeſertim ſi dolores frigore intenduntur, ſed calore levantur; tum morbum pro rheumatiſmo chronico haberi quidem oportet.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Omnia ſane temperamenta, cauſis excitantibus valide admotis, huic morbo obnoxia patent. Varia tamen corpus rheumatiſmo acuto objiciunt. Haec res clarius pateſcet et aperietur, ea quae mortales ad hoc malum proclives efficiunt, cauſaſque excitantes ſeparatim animadvertendo.

1*mo*, Cauſae praediſponentes.

Habitus corporis plenus et ſanguineus, inter pubertatem mediamque aetatem praecipue invaleſcens, ubi diatheſis phlogiſtica plurimum dominatur, huic, aliiſque inflammationem habentibus morbis, maxime opportunus. Hanc corporis conditionem cauſae multae et diverſae inducunt. Victus nempe plenior, ignavia, ſomnuſque nimius;

mius; evacuationum natura arteve inductarum diminutio aut ſuppreſſio; quales, exempli gratia, ſunt halitus cuticularis menſeſque repreſſi, quae cauſa ultima forſitan eſt praecipua cur foeminae quam viri hoc morbo ſaepius affliguntur.

Denique, ut multis morbis inflammatoriis, quibus antea laboraverit corpus, denuo obnoxium patet, ſic rheumatiſmus, cauſis excitantibus perquam leviter admotis, in eundem ſaepe recurrit.

2do, Cauſae excitantes.

Iis quoniam in regionibus tempeſtatibuſque, quibus magnae et crebrae fiunt coeli mutationes, ut plurimum graſſatur rheumatiſmus; conſtat igitur quod frigoris caloriſque viciſſitudines pro cauſis hujus morbi excitantibus haberi praecipue debent. Plagis enim, ut antea obſervatum, in

illis

illis quibus algor aeſtuſve intenſior eſt, magiſque permanens, etiamque in harum regionum, ubi hic maxime pollet morbus, hyeme, gelu magno continuoque diu perſtante, rarius quidem occurrere obſervatur.

Hic morbus praeterea frigore corpori diu applicato, ut per veſtes humidas, &c. ſaepe inducitur; hoc ſane potiſſimum evenit, ſi corpus tunc inſolite calefiat, quippe ſyſtematis irritabilitas hoc in ſtatu maxime adaugetur, et impreſſionibus in corpus a frigore factis magis obnoxia fit.

Viribus ſedantibus, ſtimulantibus, et aſtringentibus, ex obſervationibus Culleni patet, frigus pollere. Hae vires in ſpiraculis in extrema corporis ſuperficie ſitis ſpaſmum inducunt, et diatheſin phlogiſticam adaugent; inflammationem exinde atque dolorem excitant. Hoc in junc-turis potiſſimum accidit; hae, quoniam minus

quam

quam aliae membrorum partes intermediae tela cellulosa teguntur.

CAUSA PROXIMA.

Haec, ut symptomata et curatio indicant, fere eadem est ac causa alias phlegmasias continens, a stimulo directo non pendentes.

Fibrarum quoque muscularium subest affectio peculiaris, cum rigiditate conjunctissima. Et dolores, in musculorum extremis in juncturas desinentibus, graviores sentiuntur. Ob hanc praecipue causam quod ultra has oscillationes non propagantur.

PROGNOSIS.

Junioribus, robuſtis, et caeteroquin ſanis, rariſſime quidem periculum inferet morbus. Si vero ſaepe antea invaſerit, vel unum duntaxat in artum diu violentiſſime ſaevierit morbus, aegro inſtat rheumatiſmus chronicus, quem anchyloſis, rigiditaſque artuum laborantium invicta, non raro ſequuntur.

Debiliores vero, a morbis antecedentibus convaleſcentes, nec non aetate provectiores, aggrediens rheumatiſmus acutus miſerrime ſaepe angit torquetque, ſanatu difficilior plerumque evadens, et haud raro in chronicum decedit.

Reſolutione vel exudatione fere terminatur; in ulcera raro, in gangraenam vel ſphacelum

vix

vix unquam, ut audivi, deceſſit rheumatiſmus. Per metaſtaſin internas aliquando occupat partes; tunc cerebrum, pulmones, aliave viſcera infeſtans diriſſimos nonnunquam edit effectus.

Aliis interdum conjunctus epidemice hic morbus graſſatur, ejus periculum ibi aliorum violentia morborum, ut plurimum, pendere videtur.

Cum vero diarrhoea, haemorrhagia ex qualibet corporis parte, eruptiones cutaneae, ſudor per totum corpus liberalis, ſputumve copioſum, &c. quibus febris ſymptomata evaſerint leniora, ſupervenerint, morbum aliquando radicitus profligent, ſaltemve hunc reddant mitiorem.

METHODUS

METHODUS MEDENDI.

Ex jam ſupra dictis morbum de quo agimus eſſe inflammatorium liquido conſtat. Oportet igitur ut medendi conſilia ſint,

Primo, Diatheſi phlogiſticae totum ſyſtema occupanti, nec non partium laborantium inflammationi, occurrere.

Secundo, Vaſorum partium affectarum ſpaſmum reſolvere.

Tertio, Ne malum in rheumatiſmum chronicum abeat praecavere.

Remedia quae priori indicationi reſpondent, ſunt,

1*mo*, Adminiſtratio antiphlogiſtica per totum hujus morbi decurſum ſedulo quidem obſervanda.

Ad hoc efficiendum regulas ſequentes ſtudioſiſſime exequi decet.

Irritamenta omnia quae, corpori admota, cordis et arteriarum vim adaugent, omni modo, quantum fieri poteſt, evitanda. Stimulus vero magni caloris externi potiſſimum caveatur oportet. Motus corporis parum adhibendus, et poſitura horizontalis ab aegroto ſemper ſervari debet; hoc enim ſitu muſculi pauciores exercentur. Omnes etiam impreſſiones, quae mentem ad cogitationem adducant, eaeque praeſertim quae animi perturbationem aut iram in aegroto concitent, omni cura ſunt devitandae; et, propterea quod corpus a cibo nuperrime in ventriculo aſſumpto ſemper ſtimulatum evadit, diaetam igitur uſurpari oportet, qua hoc quam minime

me excitetur. Cibus e vegetalibus conflatus eo carne parato minus alkaleſcens, levior, concoctuque facilior eſt, et in uſum omnino adhibendus. A liquoribus aromaticis, ſpirituoſis, et omnibus etiam fermentatis, tenuioribus et fere aquoſis ſolummodo conceſſis, abſtineatur neceſſe eſt; ad ſitim vero, quae nunquam aegrotum urgere debet, extinguendam, potus leniores et dilutiſſimi ſolum adminiſtrandi; quales ſunt aqua cum pane toſto, liquor vocatus *Lemonade*, ſerum lactis, &c. Materies crudae aut corruptae, in ventriculo congeſtae, eumque opprimentes, ſemper amoveantur oportet. Alvum per totum morbum laxatam ſervare apprime neceſſarium evadit; nam faeces inteſtinorum accumulatae corpus magnopere ſtimulant, morbique vim haud dubie plurimum intendunt.

2*do*, *Sanguinis detractio*.—Uſus diuturnus ſimul et hujus morbi natura venaeſectionem, omnium in rheumatiſmo acuto adhibitorum, remedium

dium longe esse praestantissimum, valide coarguunt; impetum enim sanguinis adauctum imminuit, et nimiam arteriarum tensionem, hoc morbo plurimum invalescentem, resolvit.

Multorum vero morborum, et etiam maxime nocentium, fundamentum revera jacet sanguinis detractio nimia et intempestiva. Evacuationes copiosiores fere semper nocent; ex his enim plurima et pertinacissima interdum exoriuntur mala, qualia sunt summa debilitas, hydrops, rheumatismus chronicus, &c.

Sub initium vero hujus morbi, febre inflammatoria aliisque symptomatis saevientibus, sanguis, incisa vena, iterum iterumque mittendus est; quoniam violentiae morbi ita maxime sane occurritur.

Quantum vero ad sanguinis copiam extrahendam spectat, hoc ab aetate, sexu, corporis habi-

tu,

tu, et viribus aegroti, ejuſque ſanguinem mittendi conſuetudine, pendet; necnon ad morbi vim probe reſpiciendum. Attamen ab adulto, caeteroquin ſano, intra quinque primos morbi dies, ſanguis ad libras duas treſve tuto quidem educi poteſt.

Sanguis e magna vena eo conſilio praecipue detrahitur, ut ſynochae violentia leniatur; et eo ſane febris toti corpori communis remolleſcet, quo magis ſubito ſanguis mittatur; vaſa enim ſanguifera ſe ad humorum quantitatem, adeo repente diminutam, facile accommodare nequibunt, et totum corpus multum exinde ſolvetur. Parva idcirco ſanguinis copia, ex vena hoc modo miſſa, multo largiore quantitate lentius extracta, magis profutura videtur.

Cum autem hac adminiſtratione ſymptomata febrilia multo mitiora evaſerint, et certas tantum partes, tumefactas praeſertim et rubefactas, affectio

fectio inflammatoria occupet, ſanguis deinde ex partibus affectis mittendus eſt.

Hoc hirudinum ope potiſſimum peragendum. Quoties vero has in uſum revocare nequimus, ad cucurbitularum uſum, cute prius ſcarificata, confugiendum.

3*tio*, *Purgantia*.—His haud minima ſane humorum quos vaſa contineant copia nonnunquam evacuatur, et corpus igitur admodum relaxatur. Magna vero moleſtia ab eorum uſu, ne ea multum in hoc morbo uſurpemus prohibet. Corporis enim motus, inter alvi purgationem, dolorum vim magnopere intendunt, et aegrotum plurimum laceſſunt. Ut alvi igitur aſtrictionem, qua ſemper morbus graveſcat, amoveamus, ad laxantia mitiſſima et refrigerantia decurrendum, qualia ſunt manna, cryſtalli tartari, pulpa tamarindorum, ſal Rupellenſis, &c. Enema emolliens quotidie multum quoque in hoc morbo

proderit, quoniam corpus minime ſtimulet, et alvum ſemper ſatis ſolvat.

4to, *Refrigerantia.*—Haec viribus ſuis ſedativis auctum ſyſtematis ſanguiferi vigorem compeſcendo, hoc in morbo dominantem, plurimum pollent remedia. Eorum praecipua ſunt acida omnigena ſatis diluta. Ventriculo recepta ſitim haud raro extinguunt, et calorem corporis admodum moderantur.

Alium remediorum refrigerantium ordinem ſales neutri efficiunt. Inter haec nitrum uſitatius adhibitum; et vires hujus ſalis refrigerantes effectum ſane optimum aliquando praeſtant; impetum ſanguinis adauctum imminuunt, corpus frigidius reddunt, et medicamentorum diaphoreſin vel diureſin cientium vice nonnunquam funguntur.

Cum vero remediis ſupra poſitis pyrexiae vis quodammodo remolleſcat, deinde ad ſecundum conſilium aſſequendum in ſudorem moventibus maxime fidendum. Sudatio etenim conſulto excitata, ad partium laborantium ſpaſmum tollendum, remedium quod adhiberi poteſt efficaciſſimum omnino evadit.

Quoniam vero ſudor, niſi aucta cordis et arteriarum actione vix moveri poteſt; ſudatio idcirco, donec pyrexiae vis multum imminuetur, nequaquam cieri debet; et tum quoque ea medicamenta, quae ſanguinis motum quam minime excitant, ſola exhibeantur oportet.

De ratione autem movendi aut medicamentis, per quae movendus ſudor ſit, dixiſſe ero contentus, ea quae corpus quam minime irritant, et ſudorem quam diutiſſime ſervant, potiſſimum eſſe quaerenda. Quod ad diuturnitatem ſudoris attinet, fruſtra omnis ſudor eſt qui non per ho-

ras

ras ſaltem duodecim fluit; et eum profecto ad morbum penitus debellandum per viginti quatuor, vel triginta nonnunquam, imo etiam aliquando ad horas quadraginta octo, ſuſtineri neceſſarium evadit.

Si vero haec morbum tractandi ratio eum, quod interdum revera facit, adaugeat, haec adminiſtratio prorſus deinde omittenda eſt.

Tempore matutino magis tuto facileque ſudatur; ſymptomata enim febrilia veſpere multum ingraveſcunt, et aegrotus admodum irrequietus eſt.

Sudor leniter elici debet; hunc effectum pulvis ſudorificus, ex ipecacuanha et opio cum ſale medio conſtans, optime praeſtat. Hujus grana decem vel quindecem, ſub boli forma, omni vel altera quaque hora, donec ſudor fuſe prorumpat, adminiſtrentur oportet. Nil tamen ad potan-

dum

dum per aliquod tempus poſt pulveris adminiſtrationem, ne vomitum excitet, aegro porrigi debet. Cum vero ſudor copioſe profluat, liquorum tenuium, qui ſtimulare nequeunt, ab aegroto libere bibatur. Cura tamen haud levis, ne ventriculus ex eorum uſu immodico multum diſtendatur, adhibenda. Corpus enim, ni hoc ſolicite caveatur, multum irritabitur, et pyrexia aliaque hujus morbi ſymptomata plurimum exaſperabuntur. Et ſtragula pondere ſuo aegrotum haudquaquam opprimere debent. Sudans induſio laneo involvendus eſt; nam linteum cito madeſcit frigeſcitque, et corpus uſque adhaerens frigus perfert, morbumque certa noxa intendit.

Neque tamen ideo calor externus quaerendus eſt, quippe qui ad morbum exaſperandum et dolorem excitandum pertineat. Idem nullo modo adhibendus, niſi ubi ad extremi ſudor non pervenerit. Ejuſmodi in caſibus ad eum ſuſcitandum lateres ante focum bene calefacti aut

fomenta

fomenta calida uſurpanda ſunt. Sic adminiſtratus ſudor, quamdiu ſupra monitum aut certe dum vires ferant, continuari debet.

Quanquam autem ab horis triginta ad quadraginta octo, nonnunquam ſudandum ſupra dixi, non etiam in tantum vigilandum. Dormire inter ſudandum nil vetat, aut, ſi quid vetat, ut vigilia, irritatio, imbecillitas quaedam, &c. ita quaeratur ſomnus, ut remedii tenor quam minime interrumpatur. Ad ſomnum conciliandum, et ſudorem continuandum, tinctura thebaica, a viginti ad triginta guttas data, optime praeſtat.

Sic ad finem perducto ſudore; cum omnes excretiones auctae, omnes humorum detractiones reſolutum et exhauſtum corpus frigoris offenſioni objiciunt, proxima cura eſſe debet, ut mundo et bene calefacto induſio aegrotus induatur; omneſque aurae frigidae, ne corpus noceant,

ceant, ſedulo ſunt arcendae; diuque poſt ne cui majori aut diuturniori ſe frigori convaleſcens committat, ſtudioſiſſime cavere oportet.

Si vero modus tractandi ſupra expoſitus morbo mederi nequibit, tum ad tertiam indicationem explendam, nempe, ne malum in rheumatiſmum chronicum degeneret, varia quidem remedia a medicis adhiberi ſolent; qualia ſunt epiſpaſtica, et rubefacientia, quae partibus affectis admoveantur. Sed, niſi dolores uno in loco fixi fuerint, parum omnino proſunt. Etſi porro fomenta, cataplaſmata, oleum camphoratum, &c. dolores interdum per breve tempus aliquantum mitigare queant, haud raro tamen ut dolores ſemet ad alias partes transferant ſolummodo faciunt, et eorum ſaevitiam haud parum ſaepe intendunt.

Plurimum ſaepe prodeat panno laneo artus affectos involvere; dolores etenim multum al-

levet;

levet; liberam in partibus laborantibus perſpirationem promoveat, et ad morbum penitus ſuperandum multum profecto confert.

Denique, ſub finem hujus morbi, cum diatheſis phlogiſtica pene vel omnino ſublata ſit, cortex Peruvianus maximo cum fructu adhiberi poteſt; dotes enim ejus tonicae debilitatem ſummovendo, in partibus affectis dominantem, maxime pollent; vires quoque corporis univerſi imminutas reficiunt, ejuſque in rheumatiſmo chronico proclivitatem amovent, et corpus hoc modo plurimum roborando multum procul dubio medelae conducunt.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1791
A.1
c.1